

D. F. G.

EXERCITIUM ACADEMICUM.

DE

PLUVIA TEMPESTIVA  
& SEROTINA

Quarum in BIBLIIS SACRIS mentio fit.

---

Q U O D

Venia Ampliss. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboens.

PRÆSIDE

D: NO PETRO KALM,

S. S. Theol. DOCT. Oecon. PROF. Reg. & Ordin. Soc:  
Reg. Ord. Wal. Reg. Acad. Scient. Holm. & Societ.  
Litt. Upsal. MEMBRO.

*Publicæ disquisitioni subjicit*

JACOBUS TENGSTROEM.

Ostrobothniensis.

In AUDITORIO MAJORI Die **XVII** Februari.

An. MDCCCLXXV.

H. A. M. S.

---

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.



## §. I.

**I**nter præcipua, quibus DEUS T. O. M. terram vel regionem quandam mactat, beneficia, copia certe a- quarum maximi æstimanda est momenti. Animalia quotquot existunt, siti impellente aqua refrigerantur, hac vero deficiente, languescunt moriuntur. Herbas o- mnes arboreisque hujus ope ex terra succum trahere, experientia novimus. Quidquid experimenta docuerint, montes etjam aquæ auxilio, metallis redditos esse fertili- ores. Quam late utilitas pateat aquæ, ab antiquissimis retro temporibus, tam Philosophi agnoverunt quam ple- beji. Statuerunt quidam eorum, illam omnium rerum esse principium. Hi vero tenebris suis involuti Cime- riis Divinum fere huic elemento exhibuerunt honorem Ne dicam eos aquam finxisse habitaculum Deorum De- arumque fere innumerabilem. Aquam præsertim plu- viam eximiæ esse utilitatis novimus. Præterea enim quod amnes & torrentes solis calore exsiccatas iterum repleat, præcipuum suum usum factis præstat sementi- bus & florentibus iamjam herbis. Cum enim per aërem cadat, variis refertum vaporibus, salinis, nimirum, ole- osis, spirituosis &c. hi aquæ imiscuntur descendenti, & in terram prolapso, eam irrigant & fertiliorem reddunt. Ut alios quos præstat pluvia ulus, silens præteream;

## §. II.

Felix itaque illa terra, imo felicissima, cui copia obtigit doni hujus Divini, non satis unquam celebri- di; miserrima autem contra ea, quæ inopia ejus laborat.

DEUS

DEUS itaque ubertatem aquarum, ut singulare suum beneficium hominibus promittit, ut ex. gr. Es. XXXV: 6, 7. Cap. XLI: 18. Zach. XIV: 8. Malum autem denunciaturus gravissimum, aquas ipsis comminatur exsiccandas, ut ex. gr. Es. III: 1. Jer. L: 38. In primis autem cum populum suum messe coronare vellet uberrima, pluviam ipsi pollicetur tempestivam & serotinam, ut ex. gr. Deut. XI: 14, ubi hæc habentur verba: *Dabo pluviam terræ vestræ in tempore suo, tempestivam & serotinam, ut colligas frumentum tuum, & mustum tuum, & oleum tuum.* Conf. etjam Jer. V: 24. & Joël. II: 23. Pœnam autem cum infligeret gravissimam Jer. III: 3. pluviam hanc tempestivam & serotinam prohibere comminatur. Verbum quod in textu Hebraico, pluviam tempestivam denotat est יְרָחָה, & serotinam שְׁקָלָם. Cum vero omnes S:æ S:æ Interpretes in duabus hisce vocibus redendis non convenient, non nulli enim *prius* vocabulum per pluviam tempestivam, alii per pluviam priorem alii iterum per pluviam matutinam reddiderunt; similiter *posteriorius*, quidam per pluviam serotinam, alii per pluviam posteriorem, quidam denique per pluviam veſpertinam explicuerunt, multique etjam sunt, qui veram significationem harum vocum non intelligunt, operæ pretium duximus, ut versionem earum genuinam, pro modulo ingenii erueremus. Inter hæc L. B. humilime rogamus, velis ea quæ jam a nobis fuerint allata, censura perstringere mitiori, & conatus nostros imperfectos etſi, innocuos tamen, æqui bonique consulere.

## §. III.

Conatus autem nostri quo feliciorem habeant successum, sensusque vocum harum solidius evolvatur, necesse est, ut de indole tempestateque Palæstinæ in antec-

cessum paucis differamus. Omnes quotquot itinera, ad  
 hæc suscepimus loca, uno quasi ore testantur, regi-  
 onem hanc aquæ sæpiissime laborare inopia. Vias juxta  
 publicas, aqua omnis de montibus & locis confluens e-  
 ditioribus, in receptacula (*reervoirer*) sæpe deducitur,  
 publicis exstructa impensis, & in illis ad peregrinantium  
 conservatur commodum, quo deficiente instituto Politi-  
 co, viatores siti sæpe conficerentur miserrima. Docent  
 præter hæc itineraria, totam per æstatem, vix ullam in  
 Palæstina cadere pluviam. Testantur hoc idem etiam  
 Sacræ Scripturæ plerisque in locis. Exempli loco suffi-  
 ciat attulisse I. Sam. XII: 17. Cum enim Israelitæ id ef-  
 fecissent, ut DEUS, invitus etsi, Regem ipsis per Sa-  
 muelm decerneret ungendum, Propheta, hanc eorum  
 petitionem DEO displicuisse ostensurus, dicit: *Numquid  
 non messis tritici est bodie? Invocabo Dominum & dabit  
 tonitrua & pluvias.* Hinc patet pluviam tempore æstivo  
 omnino fuisse ipsis insuetam & antea raro auditam o-  
 mnibus. Ad terram itaque longo & nimio æstu exsan-  
 guem aridamque irrigandam pluviis certe opus est. Du-  
 obus in primis temporibus has ibidem cadete novimus.  
*Una* tempore descendit autumnali, fine mensis Octo-  
 bris, vel circa initium Novembris, quo tempore fru-  
 menta sua terræ tradiderunt Agricolæ earum regionum.  
 Quantam agri, nimio solis calore omni succu & fertili-  
 tate privati, hinc percipient utilitatem nemo non videt.  
 Hoc enim tempore nisi plueret, cui bono agri exculti?  
 Cui usui semina, in terram conjecta aridam? Nullus hinc  
 sperandus eslet fructus, nulla sane utilitas. Dicitur hæc  
 pluvia in S: a S: a סְרִירָה, h. e. *tempestiva*, cum cadat mox  
 post factam fermentem. Descendit autem hæc vox a rad.  
 סְרִירָה, jecit, projectit, it. docuit & instituit. Altera tem-  
 pore, vernali, interdum ad medium, interdum ad fi-  
 nem Mensis Aprilis, vel interdum ad initium Maji, cum  
     spicæ

spicæ granis implentur; mesſisque adeo brevi immineat.  
 Vocatur hæc in Bibliis Sacris מַלְכּוֹת, h. e. ferotina, &  
 derivatur a rad. שָׁקַל in Pih. collegit, congregavit. Est  
 autem hujus pluvia, ea utilitas, ut aristis interviat fru-  
 mento adimplendis, granaque ipsa in aristis, magna  
 reddat turgidaque. Dicitur hæc ferotina, cum prope  
 ante messem incidat metendam, quæ in Palæstina inter-  
 dum peragit ad finem mensis Aprilis, interdum vero  
 in Majo. Quam grata incolis Palæstinæ, sit copiosior  
 pluvia hisce temporibus, ostendit diligentissimus obser-  
 vator D. SHAU in itinerario suo, sub Tit. Voyages dans  
 plusieurs Provinces de la Barbarie & du Levant T. II.  
 p. 57. his verbis: *Les premières pluies tombent d'ordinai-  
 re dans ces pais ci au commencement de Novembre, & les  
 dernières au milieu ou à la fin d'Avril. On remarque  
 dans les envirens de Jérusalem que s'il yo a yne quanti-  
 té raisonnable de neige vers le commencement de Fevrier &  
 que les ruisseaux s'enfent un peu après c'est un marque  
 que l' année sera abondante: les habitans du pais font,  
 dans ces occasions des rejoüssances semblables à celles que  
 font les Egyptiens lors du débordement du Nil. Il ne tom-  
 be gueres de pluye dans ee pais ci en été; ou y jouit au  
 contraire de la même serénité, de l' air qu'en Barbarie.*  
 Caussam autem, cur his in primis pluat temporibus,  
 non vero æstate, reddituri, hæc videtur maxime proba-  
 bilis, quod temporibus autumnali & vernali, venti in  
 Palæstina ab occidente præcipue spirent, qui pluvias, de  
 mari Mediterraneo secum ducunt. Æstate contra ea  
 ventus sæpius flat meridionalis, de calidissimo Arabiæ  
 deserto proveniens, quam ob caussam, immodicus et-  
 jam mensibus Junii, Julii & Augusti ibi obtinet calor,  
 יְהוּרָה est uti diximus pluvia prior; f. quæ cadit initio  
 mensis Novembris; שָׁקַל vero posterior, f. vere ca-  
 dens.

dens. Adducam ea quæ BUXTORFIUS in Lex. suo Hebr. & Chald. de significatione harum vocum habet: Pag. 337. יְוָרָה, pluvia tempestiva nempe autunnalis post jaet am sementem sic dicta, quod terram quasi erudiat ac informet, ad producendam sementem acceptam, & pag. 400. טַלְקֹוּשׁ, pluvia serotina, nempe mensis Maji, messem antecedens eamque promovens; quasi collectionis pluvia, quod facit ut colligatur messis. Hinc inter plures rationes borum nominum legitur apud Talmudicos: יְוָרָה est pluvia mensis Octobris, descendens lente, non turbulenter, sensim erudiens terram ad acceptum semen producendum, sicut homo imbuit discipulum suum, doctrinam ipsi instillando: טַלְקֹוּשׁ est pluvia mensis Maji, sic dicta quod sit יִנְשְׁקָת exscindens segetes, eas scilicet maturando ut demetantur: aut מְפַלָּא תְּחִבּוֹא בְּקָשְׁוָן, implens fruges existentes adbuc in stipulis sive calamis suis; vult dicere, quod spicas impletat & perficiat, granaque turgida reddat. Cum Buxtorfio consentiunt Seb. Schmidius & Tremelius aliique in versione Biblorum Latina. Idem faciunt versiones S:æ S:æ, Belgica, Danica, Anglica & Italica Diodati; sic Svecica etiam non nullis in locis. Scilicet Belgica: vroogen regen end spaden regen. Danica: tilig regn og sildig regn. Anglica: the first rain and the latter rain, it. the former rain, and the latter rain h.e. pluvia prior & posterior. Italica: la piogge della prima, e dell ultima stagione it. pluvia serotina per la piogge della stagione della ricolta, h. e. pluvia temporis messis appropinquantis. Svecica: arla rågn och sertla rågn.

#### §. IV.

Sunt autem non nulli Interpretes, qui a notione quam dedimus verborum יְוָרָה & טַלְקֹוּשׁ recesserunt, statuentes nimicum illud significare pluviam matutinam, hoc vero vespertinam. Occasionem sententiae suæ sine dubio ex Ep. Jac. V: 7. sumserunt, ubi S. Apostolus sic loquitur: ἡ οὐ γεωργός ἐχθέχεται τοι τίνον χαρητὸν ἡστὸν γῆστον, μαχεσθεῖσαν αὐλῶν, ἔωσται λαβθῆνετο περώμενον καὶ οὐψιμον. Existimant scilicet

licet voces πρωΐμος & ὥψιμος, in sensu suo proprio esse sumendas; sed observandum S. Scriptores N. Testamenti sc̄pissime versione Vet. Testamenti Graeca LXX. interpretum usos fuisse, ut pote quam linguam conversi Gentiles facillime legere potuerunt; exponit autem hæc versio voces יְרוּחָם & קַרְבָּלָה, omnibus in locis ubi utræque in uno eodemque versu occurunt, per υέτει πρωΐμον καὶ ὥψιμον ex. gr. Deut. XI: 14. Jer. V: 24. Hos. VI: 3. Joel. II: 23. atque Zach. X: I. Hinc patet, uti jam diximus hæc verba non sumenda esse in sensu suo proprio, sed quod metaphoricam hoc loco induant significationem, adeoque pluviam tempestivam & serotinam denotent. Sic etjam ponunt dictum hoc Jacobi versiones Belgica, Danica, Anglica, Italica Diodati & hoc loco quoque Fennica. Eodem modo hoc etjam interpretantur omnes quos mihi inspicere licuit Exegetæ. Hoc ulterius vel exinde patet, quod dicatur Agricolam μαχρο-  
δυλέων s. patienter exspectare, donec hanc pluviam accipiat, quod dicere minime conveniret, si pluvia intelligeretur matutina & vespertina; Id enim plerumque patienter exspectare dicimur quod longiori a nobis abest spatio. Quod autem sententia nostræ insigne addit robur, hoc est: DEUS cum populum suum singulari mactari voluit beneficio, tale quid nequam promisit, unde plus caperet detrimenti quam utilitatis. Si enim quovis manc vesperique pluvia caderet, miserrima fane agricultura foret facies. Trito enim quod fertur proverbio: *Omne nimium nocet* hic in primis locum habere existimav̄erim. Nam aqua illa superflua, vesperi & mane delapsura, agros inundaret, grana nuper in terram projecta turgida & inutilia redderet. Ominemque progerminandi illis auferret facultatem. Quantum damni multa pluvia tempore autumnali in sementem nuper factam decidens, afferrat experientia testatur tristissima. Illis enim in locis ubi aqua constitit, vix & ne vix quidem unum aut alterum granum vere videmus germinasse, s̄epe autem magnas agrorum partes omni segete conspicimus denudatas. Vel si ad herbam fata jam pervenerint, nimia hæc pluvia radicibus quam plurimum nocet, illas scilicet putrefacit, quo facto tota herba languescat necesse est. Præter hæc, nullam præcipuam vim & virtutem fertilitatem quandam producendi, pluviae vespertinae & matutinae, præ pluviis, aliis diei temporibus cadentibus, inesse novimus. DEUS itaque cum peculiari quodam bono Israëlitas vellet afficere, pluviam illis nequaquam pollicitus est matutinam & vespertinam, quippe quæ plus illis afferrent noxæ quam utilitatis.

## §. V.

Locus in Bibliis nostris Svecanis plerisque ubi verba hæc יְרוּחָם



& שִׁקְלָה occurunt, translata, sunt per Urta rāgn & serla rāgn ut  
e. g. locus Deut. XI: 14. Jag slal giswa edro Lande rāgn i sinom tid,  
urta och serla. Conf. Jer. III: 3. Cap. V: 24. Hof. VI: 13. Zach. X: 1.  
Quibusdam tamen in locis a genuina harum vocum significatione re-  
cedit versio eadem. Sic e. g. Joél. II: 23. pro Urta rāgn & serla rāgn,  
substituit mārgon & aston rāgn, & Hjob. XXIX: 23. Prov. XVI: 15 pro  
serla rāgn, aston rāgn. Eodem fere modo, cum versione Bibliorum  
nostrorum Fennica res se habet. Sic loca Deut. XI: 14. genuine sunt  
translata, ita enim verba sonant: Etia minā annan teidān maallene fa-  
teen ajallans, warhain ja hiljain & Prov. XVI: 15, rite habet hiljainen  
sadet. Si vero bina hæc V. Test. loca exceperis, & in N. Test. di-  
ctum Jacobi Cap. V: 7. cuius antea mentio facta est, in toto Sacro  
codice nullum invenies locum, ubi hoc factum sit. Nam Jer. III: 3.  
Cap. V: 24. Joél III: 23. &c. voces has redditas legimus per amu ja elto fadet.  
Ex antecedentibus autem patere jam existima verim, hanc versionem  
indoli genioque vocum וַוְרָה & לְקֹרֶשׁ minime convenire, nisi  
dicere velles pluviam matutinam respicere mane I. primum ortum fru-  
menti sati, pluviam vero vespertinam, appropinquantem ipsius matu-  
ritatem & messem; sed intellectu difficilior foret hæc explicatio; faceo  
quod a genuina significatione vocum in textu Hebraico  
occurrentium longe recedat.

T A N T U M.

